



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Regulares.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10447**

sentia, tunc subditi tenentur obedire, & qui contradicerent, incurrunt pœnas, & censuras ab illo contra eos inflictas, Nav. loc. cit. com. 3. n. 36. & ratio est, quia hoc non est innovare, sed reducere rem in pristinum statum,

### REGULARES.

**P**rimò, Regularium Prælati non possunt cognoscere de hæresi suorum regularium, quia hoc per longissimam temporis consuetudinem est reservatum Episcopis, & Inquisitoribus, Navar. conf. 1. num. 5. de heret.

Secundò, Prælatus regularium non potest cognoscere de crimine, depositione digno, patrato à suo subdito, putà homicidio de jure communi, nisi aliter per privilegium habeat, Nav. conf. 6. de for. comp. & in c. non dicatis, n. 63. & pro crimine falsæ monetæ vidi Neapoli castigari Regulares ab Archiepiscopo, & pro adulterio Beneventi ab Archiepisc. quia sunt delicta depositione digna, cap. at si clerici, §. ab adulterio, de jud. ratio est, quia prælati religiosorum habent potestatem castigandi suos subditos, solum in concernentibus eorum regulas de jure communi de speciali solum, quæ non sunt depositione digna, Nav. loc. cit. n. 1. & 7.

Tertiò, Regularis ejectus ab ordine, seu religione, tenetur se præsentare Ordinario, quia ex tunc subjacet Episcopo cum habitu clericali, per Doct. in c. si. de reg. Nav. conf. 76. & 79. de reg. sed non manet tutus in conscientia, si ad monasterium rediens per seipsum non

steterit, quominus iterum recipiatur, quia debet iterum tentare, ut recipiatur, vide in addit. dicti conf. Navar.

Quartò, Canonicus regularis potest habere beneficium curatum sæculare, sine speciali dispensatione, sed cautius, si accedat dispensatio Episcopi, Abb. in c. quod Dei, de stat. monach. decis. Rot. 5. de jur. patr. in novis, Nav. conf. 11. n. 2. de statu monach. & dixi superius, in ver. beneficium, §. 1. ver. 5.

Quintò, Regulares possunt reformari ab Ordinario, ut eant bini, facit, quia monachus non debet stare, nec incedere solus, capit. 2. de stat. monach. Clem. ne in agro, §. ad hæc, eod. titul. Imola in capit. si. de cleric. agrot. Rebuff. de Vicar. Episcop. num. 31.

Sextò, Regularibus prohibitum est appellare, Sotus lib. 5. q. 9. art. 3. de just. & jure, Cov. pract. q. 6. 23. num. 7. ver. 8.

Septimò, Regularium Prælati quomodo sunt eligendi? Responderetur, quòd per vota secreta, aliàs nulla esset electio, tametsi omnia alia adimpleta sunt, ita Gem. in capit. cum expediatur, ver. sed pone, quòd canonici, de elect. libro 6. & vidi in 1. par. ver. Abbatissa, §. 6.

### REMISSIO REORUM.

**P**rimò, si quis delinquit in territorio alieno, & judex illius eum puniat ratione delicti, an possit eundem punire judex territorii originis, ratione originis?

Responderetur, quòd non, ita Affl. in